Styria, Gratz 6 Oktobr 1846.

Celeberrime atque doctissime Domine!

Magna tua de re herbaria merita mihi valde bene nota. Jam dudum in votis erat, Tecum, quod scientiam nostram amabilem attinet, communicandi. Ast prius non erat, cur Te litteris meis turbassem. – Jam per plus quam 30 annos Botanicae addictus, otium atque vagationes meas botanicas eo impendere conatus sum, ut <u>Enumerationem plant. phan. Universi Imperii Austriaci conscriberem</u>. Opus nunc finitum ita accomodatum est: Plantae secundum Ordines systematis Endlicheri enumerantur. <u>Cuilibet speciei</u> praeter synonyma maxime necessaria, Durationem, et locum natalem universalem e. g. in pratis etc. omnes provinciae ordine alphabetico adnexae sunt, in quibus mihi crescere innotuerit.

Ad opus construendum omnibus libris de
flora Austriaca specialiter vel universa-
liter agentibus usus sum, nec non
a permultis Rosariae cultoribus omnium
provinciarum scriptis et plantis sicca-
tis benevole atque humanissime adju-
tus fueram. — Etiam praeclaro Tuo
opere de Flora Dalmatica sedulo usus
sum, sed valde dolebam, tomum II
adhucdum non ad manum fuisse, eo ma-
gis, cum mihi multae plantae e
Dalmatia missae fuerint, quae a Te
denominatae indicantur, easque nuspiam
hucusdum descriptae inveniuntur,
et quod speramus in secundo volumine
Florae Tuae Dalmaticae descriptae
reperientur. Huc pertinent: Centaurea
crithmifolia s. C. Friderici, Galium
aureum, Satureja subspicata, Lycopsis
Portenschlagii, Satureja subspicata
et multae aliae.

Botteri Dipsacum mihi „foliis lineari-
subulatis, dorso aculeatis" qui novam
speciem sistere videtur. —
Cum de hisce plantis dubius haeream,
ad Te Clarissime Domine mihi refugi-
endum mihi censeo, quaerens, an tomus
II operis Tui modo in lucem prodi-
turus sit? Si non, humillime Te rogo,
ut mihi benevole consilium dares,
quomodo species hae Tuae in opere
meo afferendae sint. —
Rosarium etiam operi respondens
construxi. Ultimas notiones et
addimenta a nonnullis Rosariis
exspecto, et post 4-5 menses opus
imprimendum curabo.
Pro omni consilio et auxilio quod
benignissime largiri dignaris, gratissi-
mum semper invenies

Tuum

devotissimum servum

Dr Josephum Maly

Exemplar operis chartae ſcriptoriae impreſſum gratiſſimus mittam.